



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

20. Constitutiones poenales num ad culpam gravem obligent? an ad poenam ante Iudicis sententiam? an ad poenam per ipsum Reum exequendam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

aut specialis promissionis ad id obligetur.  
 Ut proinde metu mortis soluto jejunio  
 missam celebrare, in Triremibus Turca-  
 rum contra Christianos remos agere, ma-  
 trimonium in gradu prohibito cum Con-  
 sanguinea contrahere, modo animus con-  
 sumandi desit, licitum asserant. *Salas, Vasq;*  
*& alij passim.*

20. Leges pœnales non ita interpre-  
 tandæ sunt, ut earum violatio gravis cul-  
 pæ reum efficiat. Exemplum habes in de-  
 cretis Principum, sub pœna exilii; mul-  
 ctæ pecuniariæ, aut corporali pœna, fe-  
 rarum venationem prohibentium, *Azor*  
*Tom. 1. lib. 5. cap. 6. q. 4.* quia in dubio dum  
 legislator mentem suam non explicat be-  
 nignior interpretatio faciendæ est, & lex  
 explicari debet de minori pœna, *cap. in pœ-*  
*nis. 49. de reg. Juris in 6.* & qui ex duobus  
 propositis alterum tantum affirmat, alte-  
 rum negare videtur. *L. cum Prator ff. de ju-*  
*dic. cap. nonne. de presumpt.* Ergo Legislator,  
 qui ad pœnam tam æternam, quam tem-  
 poralem obligare potest, si solius tempo-  
 ralis meminit, non videtur intendisse ob-  
 ligare ad æternam: *Navar. in man. cap. 23.*  
*num: 55.*

*num: 55* neque urget, quod earum trans-  
 gressor mortis aut vitæ periculo expona-  
 tur, quia id non sequitur ex natura ipsius  
 legis violatæ; potest enim quis tanta cau-  
 tela legem huiusmodi violare, ut non in-  
 currat in periculum probabile talis pœne.  
 Quam tamen opinionem ad Ecclesiasti-  
 cas leges extendi nolumus; hæ enim,  
 quando latae sunt sententiæ, communiter  
 ad pœnam sub mortali obligant, dum cir-  
 ca censuras versantur. *Communis DD. quo-*  
*ad pœnam Excom: quoad suspens: Azor Tom: 1.*  
*lib: 5. cap: 6. q. 5.* ipsoq; facto subindè sine  
 Criminis commissione ante omnem Ju-  
 dicis sententiam efficiunt criminofum in-  
 habilem ad acquirendum, vel acquisito  
 utendum, ita ut in conscientia abstinere  
 obligatus sit, ut constat ex impedimentis  
 Canonicis Matrimonii ex crimine con-  
 tractis *colligitur ex Molin: Tom: 1. Tr: 2. disp.*  
*96.* ex inhabilitate acquirendi redditus, be-  
 neficii, juxta quorundam sententiam: ob  
 intermissam residentiam juxta *Trident. sess:*  
*23.* ex pœna inflicta, provisus de beneficio  
 curato, Canoniatu, aut dignitate Eccle-  
 siæ Cathedralis, ut nisi intra duos menses  
 post

post

post diem possessionis adeptæ, fidei professionem edant, fructus suos non faciant, Trident. sess. 24. cap. 12. de Reform. ex inhabilitate acquirendi dominium bonorum incertorum, quæ v. g. ex furto, usura, rapina, possidentur, & propriis Dominis restitui non possunt, ea enim pauperibus erogari debent, aut aliâ ratione compensari, ante omnem Judicis sententiam. cap. cum tu de usur.

21. Aliud sentiendum de lege Civili in pœnalibus, maximè si pœna nimium dura per ipsum reum exequenda foret: nisi clarè appareat talem esse legislatoris mentem, nam legem humanam oportet esse naturæ ac moribus hominum accommodatam, est autem valdè alienum à natura, ut idem cogatur esse reus, occulti sui criminis proditor, ac justitiæ executor Laym. lib. 1. de leg. Tract. 4. ca. 15. n. 3. ut propterea 1. qui ob crimen hæresis aut læsæ Majestatis, pœnam confiscationis bonorum ipso jure incurrit, possit licitè & validè ante Judicis sententiam alienare bona sua. L. 5. & ult. C. ad L Juliam Majestatis 2. Beneficiarius possit beneficium retinere do-  
nec